



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

cxxvii [i.e. xvii]. Actio eductiva & passio solâ ratione distinguuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

XVII. Actio eductiva & passio est una realis entitas, & ut Arist. 3. phys. Tex. 18. inquit: *unus amborum* (intellige moventis & moti) *actus*; quæ quatenus respicit principium sui effectivum, dicitur actio, & denominat illud agere, quatenus respicit passum, in quo recipitur, dicitur passio, & denominat illud passum, sicut eadem via respectu ascendentis est acclivis, respectu descendentis declivis. Cui non obstat, quòd generatio & spiratio activa in divinis à generatione passiva distinguitur realiter: nam in divinis processiones activæ identificantur principiis activis v. g. generatio activa paternitati, passivæ passivis v. g. generatio passiva filiationi, & tam hæ, quam illæ constituunt distinctas Personas. Distinguntur tamè ratione ratiocinatâ secundum illud Arist. l. c. Tex. 22. *esse actum hujus ab hoc* (qualiter actionem) & *esse actum hujus in hoc* (qualiter passionem definit) *ratione diversum est*. Cui non obstat, quòd actio eductiva quæ talis passum, & etiã passio quæ talis respiciat formaliter agens; nam adhuc modus considerandi formaliter actionem eductivam, ut talis est, diversus est à modo considerandi passionem, ut passio est; sicut enim via eadem;

dem, acclivis & declivis etsi eosdem respiciat terminos, radicem & cacumen montis, considerata tamen ut acclivis respicit radicem montis tanquam terminum à quo, & quasi primò, cacumen montis tanquam terminum ad què, & quasi indirectè & secundò: sic actio eductiva ut talis dicit actum principii activi tendentem in passum, passio ut talis dicit actum principii passivi proveniente[m] à principio activo, etsi de cætero uterquè respectus ad agens & ad passum tam actioni, quàm passioni formaliter sit essentialis. Sic igitur lignum calefieri ab igne, & ignem calefacere lignum; formaliter diversa sunt: quamvis alii per primum velint, non intelligi passionem, sed ad significandam hanc sic dici & formari debere propositionem; *lignum recipit calorem ab igne.*

XVIII. Actio eductiva transiens non est in agente; hæc enim in eo est, quod movetur & patitur, & quod per illam mutatur, ut inquit Arist. Sed nequè agens ut agens, nequè agens quod agens est, actione transeunte movetur, patitur aut mutatur; agenti enim per hoc, quòd alteri actu communicet perfectionem, seu det suum esse, non advenit
major